

modo concedit quod similitudo est causa eorum quæ sibi assimilatur, quod utique pertinet ad rationem ideæ, et sic non consideratur species illa, seu similitudo intellectus, ut præcise ipsum intellectum informat et illi servit ut forma, et medium cognoscendi ut quo, sed quatenus continet objectum formatum, et excogitatum a se: sic enim comparari potest ad rem extra, ut id cui assimilatur res extra per imitationem non ipsa entitas conceptus, ut qualitas est informans intellectum, id enim non est imitabile in re extra.

XI. Hanc mentem D. Thomæ non negavit P. Vasquez cum dixit disp. LXXII citata, cap. II, num. XI, quod s. doctor existimavit ideam in mente artificis esse formam, seu speciem quam intellectus exprimit, quia putavit id quod intelligitur non esse rem objective præsentem, sed qualitatem intus formatam, quam verbum appellamus. Sic autem absque dubio verbum ipsum esset idea in mente artificis. De qua opinione D. Thomæ an vera sit, dicit se tractasse supra disp. XXXIX, circa finem capituli secundi. Cæterum D. Thomas non existimavit objectum intelligi a nobis cognoscendo prius ipsam entitatem, et qualitatem conceptus qua informamus: hoc enim reflexione indiget, cum cognitio reflexa maxime sit cum pro objecto habet entitatem ipsam conceptus, supra quam reflectitur intellectus postquam per eam cognovit objectum. Non ergo potuit existimare D. Thomas quod intellectus cognoscit objecta directe, cognoscendo prius ipsam qualitatem conceptus, nisi ponendo manifestam implicationem, supponeret enim ad cognitionem directam objecti, cognitionem reflexam, quæ tendit ad entitatem conceptus cognoscendam; cum tamen reflexa cognitio

sit posterior ipsa directa, et supponat illam. Et si quando D. Thomas docet verbum, seu conceptum non solum esse medium cognoscendi ut quo, sed etiam esse cognitum ut quod, loquitur ratione sui præsentati, quatenus in ipso conceptu habet objectum reddi intellectivum, et immaterializatum, seu denudatum conditionibus materialibus, et sic non intelligitur ipse conceptus ut quod, in quantum est qualitas quædam informans intellectum, sed res excogitata, et formata per illum conceptum cognoscitur ut quod, et sic comparatur ad rem extra, et induere potest rationem ideæ.

XII. Ut fundamentum hujus sententiæ tradatur, supponendum est, quod ex conceptu quia nobis formatur, resultat aliquid in intellectu ut in subiecto, et aliquid in ipso objecto ut formato ad intra, et aliquid in ipso objecto ut existente ad extra. In ipso intellectu, seu subiecto resultat quod per conceptum intellectus reddatur concipiens, et attingens objectum, tamquam per id in quo sibi fit expressa representatio. In ipso objecto ut formato, et expresso intra ipsum conceptum resultat quod objectum ipsum dicatur intellectum, et cognitum in actu, quod quidem est esse immateriale, et invisibile, quo objectum intra intellectum redditur abstractum a conditionibus materialibus, non sicut in specie impressa, ubi solum representatur objectum per modum principii cognoscendi, sed sicut in specie impressa, ubi relucet per modum termini cogniti. Et quia juxta modum, et dispositionem cognoscentis formatur, seu depingitur ipsum objectum in conceptu, et juxta majorem aut minorem vivacitatem, objectum intus formatur, et exprimitur, ideo variantur formæ, seu exemplaria intus formata, quæ ad extra res factæ imitentur. Et quidem res ista sic

formata, et disposita intus in conceptu non est aliquid extra ipsum conceptum, sed tamen distinguimus in ipso conceptu, et id quod entitatis est, seu qualitatis representantis, et id quod est rei formatæ, et representatæ, hoc enim est proprium formarum representantium quod non solum consideratur in eis ipsa entitas absoluta, et representatio activa, sed etiam ipsa res representata; ut in speculo non solum considerant vitrum, aut lux reverberans, et formans illos colores, sed homo ipse figuratus intra speculum. Et ratione hujus rei representatæ intra conceptum, et non solum ratione qualitatis, et entitatis, quæ est conceptus, fiunt multi effectus reales, sicut multi discursus, demonstrationes, directiones, ac locutiones ad extra, quæ non tam qualitatem concipiunt, quam objectum respiciunt, et ut existimamus, etiam idearum causationes. Denique, in objecto ad extra resultat denominatio extrinseca, quæ nihil reale ponit, neque immutat in ipso objecto.

XIII. Hoc supposito dicimus quod idea neque consistit in objecto ut cognito, seu in esse objectivo, ut præcise constituitur illa denominatione extrinseca, neque in ipso conceptu, ut præcise dicitur rationem formæ informantis ipsum intellectum tamquam medium quo redditur concipiens, sed in ipso conceptu quatenus reddit ipsum objectum formatum, et expressum intelligibiliter, et invisibiliter; tali modo quod ex ipso participari potest, et reddi visibile ad extra. Primum probatur, quia bene stat rem aliquam perfecte esse cognitam a nobis, neque tamen habere rationem ideæ; ergo aliquid amplius importat idea, quam objectum ut cognitum denominatione extrinseca: etiam si sit res ipsa facienda, vel aliquid originale ex quo

potest derivari et fieri. Antecedens manifeste constat, quia multi perfecte vident et cognoscunt aliquid artefactum, v. g. domum, vel statuam, imo res naturales perfecte a multis cognoscuntur: et tamen non habent ideam istorum, quia non sunt artifices, et multo minus factores rerum naturalium: idea autem est forma factiva ideati exemplariter. Consequentia vero constat, quia si esse cognitum objectum non sufficit constituere ideam, et per hoc quod sit cognitum constituitur in esse objectivo, manifestum est quod per hoc solum quod res sint in esse objectivo, et ut cognitæ ab intellectu non constituitur ratio ideæ, sed aliquid amplius requiritur, nempe quod aliquid concipiatur cum tali praxi, et modo quod possit ex se derivare aliquid factum ad extra in quo exprimat id quod est in mente.

XIV. Deinde, sumi potest ratio hujus a priori, quia nullum objectum externum, sive sit ipsamet res facienda et ideanda, sive aliquid aliud ad cuius instar formandum est, potest habere rationem ideæ, et exemplaris, quantumcumque sit cognitum cognitione extrinseca, quia non potest influere in ideatum actione solum naturali, sed modo intelligibili, et vitali, quia solum influit in quantum est intenta, et inspecta ab artifice, ut imitabilis ad extra modo artificiali, non modo naturali, objectum autem existens extra intellectum quantumcumque sit cognitum denominatione extrinseca non est influens vitali, et intelligibili modo, quia hoc procedere debet a principio vitæ intrinseco: ergo nisi objectum intra ipsum principium vitale ponatur, quod est intellectus, non potest esse forma viva, et idea, seu exemplar intelligibile, et artificiali modo influens, sicut habet idea in mente artificis,

non autem objectum extra quantumcumque cognitum, quia denominatio cogniti omnino manet extrinseca respectu objecti, nec illi quidquam vitalitatis, et influentiæ per modum intelligibilem tribuit.

XV. Unde cessat instantia p. Suarez ubi supra sect. 1, assert. III, n. xxx, quod ipsa ratio objecti constituit rationem formalem ideæ; cognitio vero solum se habet ut conditio, sicut in fine apprehensio solum se habet ut conditio finalizandi, ratio vero formalis ipsius finis est ipsa bonitas rei ad extra. Hæc inquam instantia cessat, quia finis tribuit voluntatem, tamquam inclinationem, et pondus quoddam ad realem assecutionem sui; unde illud præbet rationem formatam finis, quod præbet rationem formalem assequibilis; quod utique convenit rei secundum bonitatem quam habet in se ad extra, licet applicetur, et manifestetur ipsi voluntati per apprehensionem; at vero idea non habet modum influendi intelligibiliter, et artificialiter tamquam conditionem et applicationem causandi, sed tamquam rationem formalem suæ causalitatis, quia in hoc distinguitur forma idealis et idealiter operans a forma naturali et operante naturaliter, quod illa intelligibili et artificiali modo operatur imitationem sui, hæc naturali modo propagationem sui efficit: et sic apprehensio in forma ideali in qua constituitur ut forma intelligibili modo operans, quod habet beneficio intellectus, non pertinet ad conditionem et applicationem causandi, sicut apprehensio in fine, sed pertinet ad rationem formalem.

XVI. Secundum vero quod restat probandum, scilicet quod idea non sit ipse conceptus secundum præcisam habitudinem informandi intellectum, sed formandi objectum intra se probatur, quia idea est forma

imitanda, et sic dicitur in ejus definitione quod est forma, quam aspiciens artifex operatur, sed secundum priorem illam habitudinem non est forma imitanda, nec inquam artifex aspicit ut imitetur, sed medium quo aspicit: ergo sub ista secunda habitudine, et non sub priori induit rationem ideæ. Major est certa ex definitione ideæ et minor ex ipsa natura et ratione conceptus, quia sub illa habitudine non est id quod aspicitur et videtur, sed id quo intellectus informatur in videndo et cognoscendo. Similiter res ideata ad extra non imitatur rationem conceptus, quatenus intellectum informat, sic enim se habet per modum qualitatis representantis intellectui: nullus autem imitatur ad extra, neque imprimit in suo artefacto id quod qualitatis, et informationis est in conceptu, sed id quod excogitur, formatur et aspicitur in illo ut imitandum: sub hac ergo formalitate induit rationem ideæ. Et præterea, quia causalitas ideæ non est præbere effectum formalem intellectui, sed ideato, eo quod propria causalitas ideæ non est esse formam intrinsecam, et informantem, sed extrinsecam et formantem ideatum: ergo licet in conceptu inveniatur ordo ad intellectum, ut ad subjectum quod actuatur, tamen iste ordo non constituit ipsum in ratione ideæ, quia sub hoc respectu est forma intrinseca per sui inhærentiam, et conjunctionem reddens intellectum cognoscentem, non autem forma imitabilis, et extrinseca reddens rem ad extra formatam, et ideatam.

#### CAUSALITAS IDEÆ.

XVII. Causalitas ideæ optime discernitur a causalitate materiali, finali, et formali intrinseca. Differt causalitas ideæ a causalitate mate-

riali, quia munus ideæ non est recipere, et per modum subjecti se habere, sed potius materiam sibi subjectam format, et in formam artis reducit. Differt a forma intrinseca respectu sui ideati, licet respectu intellectus cui inhæret formalem causalitatem habeat, non in quantum idea, sed in quantum conceptus. Respectu autem ideati, quod est proprium causatum ideæ, manifestum est quod idea non se habet, ut forma intrinseca, sed ut forma imitabilis, quia idea non est extra intellectum informans: unde oportet quod in ideato producat aliam formam similem sibi, et hæc est intrinseca in ideato. Differt a causalitate finis formaliter loquendo, quia finis movet metaphorice alliciendo per modum appetibilis, unde immediate fertur in ipsum appetitum, licet requirat apprehensionem, et cognitionem tamquam conditionem ut applicetur, et manifestetur appetitui: at vero idea, in quantum idea, non agit in ideatum per allicientiam, et desiderium sui, sed per expressionem imitationis, nec movet appetitum directe in quantum idea, licet alias illum movere possit in quantum pulchra, vel conveniens, aut bona, sed ejus causalitas in quantum idea, est expressio sui in ideatum, et sic est forma imitabilis, non finis alliciens: potest tamen habere rationem finis in quantum artifex intendit assequi imitationem ideæ in opere suo. Unde D. Thomas quæst. III de verit. art. 1, in fine corporis dixit quod idea seu exemplar habet quodammodo rationem finis, quia videlicet res exemplata habet pro fine perfectam assimilationem ad suum exemplar: hæc enim est ejus perfectio: sub alia tamen causalitate se habet ut finis, alliciendo appetitum, et sub alia ut idea exprimendo sui imitationem.

XVIII. De causalitate efficienti, et formali extrinseca restat difficultas. Et quidem p. Suarez ubi supra sect. II, num. II, et sequent. solum ad causam efficientem reducit ideam, et solum dicit esse formam, quia extrinsece representat, aut movet ad sui imitationem: fundamentum ejus est duplex.

Primum, probando quod habeat rationem causæ efficientis, quia ars est causa effectiva artificiati, ut docet philosophus II physic. et D. Thomas III p. q. LXXVIII, art. II, et quodlib. VII, art. III, ergo idea quæ est forma artis debet efficienter concurrere, sicut et ipsa ars cujus est forma. Unde ideas divinas vocat S. Dionysius effectrices creaturarum in quinto capite de divinis nominibus et Augustinus XII de civitate, cap. XXV.

Secundum fundamentum est ad probandum quod non sit causa formalis extrinseca, id enim solum potest esse verum in sententia quæ existimat ideam esse conceptum objectivum sive extra positum ut inspicitur, sive intra formatum: constat autem hoc non semper esse necessarium: potest enim formari exemplar non desumendo ab externo exemplari, sed per inventionem de novo formatam: et Angeli sine acceptione ab objectis externis possunt formare ideam de aliquo artefacto: exemplar autem interius formatum licet semper requiratur ad ideam, non tamen requiritur quod sit objectum diversum ab ipso effectu faciendi, imo quanto magis effectus ad extra est similis objecto formato ab artifice, tanto perfectior est influxus ideæ; in id enim quod diversum est, et simile, non influit perse idea: sufficit ergo ad rationem ideæ concipere, et formare pro objecto illud ipsum quod faciendum est, et quanto magis in individuo illud concipit, et sic efficit ad extra, tanto

perfectius exemplar est: ipsa autem res facienda ut concepta, et formata non habet effectum formalem in seipsum, ut est in re, et multo minus ipse conceptus qui est accidens informans intellectum, potest informare rem ad extra; neque explicari potest in quo consistat ista causalitas formalis extrinseca, et quid sit.

XIX. Nihilominus utramque causalitatem attribuimus ideæ, supponendo quod jam dictum est, quod idea est forma intelligibilis, agens in ideatum per imitationem sui: et quia sic operativa est ad extra, pertinet ad rationem practicæ, potestque in ea considerari aliquid quod pertinet ad efficaciam, et motionem executivam ad extra, et sic induit rationem causæ efficientis, quæ respicit executionem et positionem rei in esse. Potest etiam considerari id quod repræsentationis est in idea, et imitabilitatis ejus in ideato, ratione ejus ideatum respicit ideam quasi regulam, et specificativum sui extrinsecum, quasi originans et principians id quod specificum est in ideato, non solum dando illi existentiam, sed regulationem, et imitationem, et sic habet rationem causæ formalis.

XX. Utramque causalitatem ei tribuit D. Thomas, nam v metaph. lectione II, dicit quod: «Habet causalitatem formalem, non sicut forma intrinseca, sed sicut extrinseca a re, ad cuius tamen similitudinem res fieri dicitur, et secundum hoc exemplar rei dicitur forma.» Qui locus est apertissimus, cum ponat formam extrinsecam cum causalitate formali, non efficiente. Item in quæstione III de verit. art. I, dicit: «Quod forma rei potest dici tripliciter. Uno modo a quo formatur res sicut a forma agentis procedit formatio. Alio modo dicitur forma alicujus secundum quam aliquid formatur, sicut anima

est forma hominis, et figura statuæ est forma capri. Tertio modo dicitur forma alicujus illud ad quod aliquid formatur, et hæc est forma exemplaris, ad cuius similitudinem aliquid constituitur. Et in hac significatione consuetum est nomen ideæ accipi, ita quod idem sit idea quod forma quam aliquid imitatur.» Quo loco D. Thomas aperte distinguit rationem formæ in idea a forma intrinseca, quæ est secunda acceptio, et a ratione formæ agentis, quæ est prima: ergo sentit quod præter causalitatem effectivam habet aliam, quæ est propria ideæ, et non est forma intrinseca.

XXI. Hoc idem sumitur ex Aristotele qui in II physicorum definit causam formalem, quod est species et exemplar; et, ut advertit D. Thomas loco citato metaph. forma intrinseca rei dicitur species, et forma extrinseca, exemplar, seu idea. Nec satisfacit solutio Suarez ubi supra quod ideam vocat formam generali ratione: idea enim generaliter formam significat, vel quia Plato nomine ideæ usus est, dicendo quod per ideas constituebantur essentiæ rerum, et species; sed quidquid sit de hoc, tamen constat quod Aristoteles non posuit, vel reduxit ideam ad aliud genus causæ, quam ad genus formæ; et certum est non esse formam intrinsecam in ideato; ergo extrinseca. Si autem in illa definitione Aristotelis tradita de forma communiter sumpta quod est species et idea, ly idea esset idem quod forma generaliter sumpta sensus definitionis esset, forma est species et forma, quæ definitio esset omnino inepta.

XXII. Quod vero etiam idea habet causalitatem effectivam, deducit D. Thomas q. III de verit. art. VII ad III ex illis verbis D. Dionysii in V de divinis nominibus, quod exemplaria in Deo sunt divinæ et bonæ volun-

tates prædeterminativæ, et factivæ rerum, ubi ponderat s. doctor quod non dixit Dionysius esse voluntatem prædefinientem, et efficientem, sed prædeterminativam, et effectivam, ut non solum comprehendat id quod actu facit, sed etiam id quod potest facere, licet de facto non faciat. Supponit ergo quod idea habet rationem efficientis, ex voluntate adjuncta; ratione enim bonæ voluntatis dicit Dionysius quod est effectiva rerum; videatur etiam quodlibeto VIII, art. II, ubi dicit D. Thomas quod idea includit intentionem operandi: et I p. q. XLV, art. VI, quod Deus est causa rerum per suum intellectum, et voluntatem, sicut artifex rerum artificiarum; voluntas autem est causa per modum efficientis.

XXIII. Fundamentum autem propter quod attribuimus ideæ causalitatem formalem extrinsecam, quæ reductive pertinet ad genus causæ, quæ est forma, est quia idea non solum est forma productiva, et respiciens existentiam effectus a se causandam, quod est proprium efficientis, sed etiam est regula, et mensura ipsius ideati, quantum ad ejus speciem, et rationem, ad modum quo objectum respectu potentiæ, vel actus se habet ut specificativum ejus. Et hoc constat, quia tanto verior, et perfectior judicamus aliquam imaginem, et artefactum, quanto conformior est suo archetypo, et ideæ; et sic tota ratio, et perfectio hujus consistit in imitatione illius: si ergo idea se habet ut forma imitabilis: ergo ut forma regulans, et mensurans, si quidem ex imitatione ad ipsam sumitur perfectio, et ratio istius. Quod vero hic modus perficiendi et mensurandi se habeat per modum formæ extrinsecæ, patet quia tota species, et forma ideati, quæ in ipso intrinsece et formaliter est, non est aliud quam imitatio, et derivatio ab idea, ut a forma

principali, et exemplari: ergo idem munus facit idea exemplando, quod forma in formando, id est, dare ideato formationem, et speciem per modum formæ principalis, sicut forma intrinseca dat tamquam forma proxima informando; et quasi imprimens in se vices formæ idealis. Unde si objectum se habet ut causa formalis extrinseca respectu actus specificati a se, quia objective terminat vel principiat specificationem, multo magis idea, quia exemplariter, et per modum formæ imitabilis, et principalis originat, et principiat specificationem formæ artificialis: forma enim artificialis est quasi quoddam vestigium, et repræsentatio formæ idealis, quia est ejus imitatio: ergo in quantum talis respicit ideam ut repræsentatum, et imitatum a se: ergo ut significativum extrinsecum.

XXIV. Dices: Hac ratione probaretur quod quæcumque habitudo similitudinis ad suum simile, vel mensurati ad mensuram respiceret illum terminum ut causam formalem extrinsecam, quod tamen non admititur communiter, cum terminus relationis prædicamentalis sit purus terminus, non causa formalis, aut specificativum ejus. Sequela autem constat, quia in quocumque termino extrinseco potest fieri simile argumentum, quia ab illo dependet talis habitudo ut a mensurante, et perficiente extrinseco: ergo ut a forma. Confirmatur, nam etiam forma efficiens, et executiva perficit extrinsece rem quam producit, et similiter finis: ergo etiam dicentur habere genus causæ formalis extrinsecæ. Sic autem talis ratio causæ formalis nimis generalis est pro omni perficiente extrinseco, et sic nihil peculiare dicitur de idea, præter rationem causæ efficientis, aut termini relationis ideati ad ipsam.

XXV. Respondetur non omnem